24

SPIRITUS MIRACULOSUS, PROPHETICUS ET ECSTATICUS

IN

PROVINCIA SEVENNENSI GALLICA

PER ALIQUOD TEMPUS REGNANS.

Hiſtoricè propoſitus, cum brevi

ejus examine

&

PRO MATERIA DISPUTATIONIS

EXHIBITUS

à

JOH. WOLFGANG JÄGER, D.

CANCELLARIO TUBING.

RESPONDENTE

M. JOHANN-FRIDERICO Lieſching/

SS. Theol. Stud. & Ser. Stip.

IN AULA NOVA

Ad d. Auguſti A. MDCCXII.

TUBINGÆ,

Typis JOH. CUNRADI REISI.

THE ALLAN LIBRARY

52700 (24)

PRÆFATIO.

SCripſit ante aliquot luſtra Batavus quidam librum, cui titulum in fronte poſuit MUNDUS FASCINATUS, in quo inprimis multis defendere auſus eſt, non dari tantum ſpirituum & diabolorum numerum, prout vulgo hactenus per miram quandam faſcinationem creditum pene univerſaliter fuerit; ſed unum eſſe ſpiritum malignum, à DEO Apoſtatam; quæ ſententia in novaturiente hoc ſeculo adeo quibusdam Viris etiam Doctiſſimis arriſit, ut publicè & per Scripta opinionem illam contra Scripturam apertè loquentem defendere auſi ſint. Nobis impræſentiarum non vacat ex profeſſo materiam illam ſub incudem & examen vocare. Cenſemus tamen, ex iis quæ dicenda nobis erunt de *Sevennenſi* Spiritu & aliorum, qui hodie propheticas afflationes jactant, ſatis conſtare poſſe, quod unus aliquis Spiritus tantis laboribus & motibus non ſufficiat, ſed quod magno agmine & ingenti numero opus ſit, ut tot myriades hominum tam ſpecioſe ſeducere, ac ſub larva pietatis, in perniciem æternam abducere queant. Quanquam enim non omnia in Sevennenſibus, quorum motus & Ecſtaſes inprimis nobis examinandæ ſunt, tanquam diabolicas præſtigias damnare ſuſtineamus; Nihilominus haud veremur aſſerere, quod in multis ſe Spiritus ille mendacii miſcuerit.

Faxit *Spiritus Veritatis* æternus, ut, dum inter dubia & abrupta incedimus, in VIA Veritatis maneamus; neque declinemus unquam ad *Siniſtram*, ubi plerunque nil niſi præcipitia ſunt.

SUMMA.

In Delphinatu puella quædam, dein plures omnis generis homines vaticinari incipiunt, Eccleſiæ incrementa, exitium Papatui ominantes. Pontificii illos fruſtra conantur in ſilentium per vim redigere. Eruditi ea de re in diverſas abeunt ſententias. Orto bello, Spiritus Prophetis velut pro Imperatore eſt: & fidem ſibi facit, dum miles quidam pyram conſcendit illæſus. Prophetarum bello victorum præcipui in Helvetiam, & inde Angliam tendunt. Hic varia experiuntur judicia. A popularibus condemnantur, inter Anglos verò inveniunt aſſeclas; quosdam etiam magni nominis. Lis mutuis ſcriptis ducitur. Primi Prophetarum civili notantur infamiâ. Denique fruſtrata mortui cujusdam reſuſcitatione, quam promiſerant, fidem ſuam valde ſuſpectam faciunt. Ipſi quoque ſcinduntur in partes. Capiti ipſorum, Lacio, à Parlamento frenum injicitur. Pars reliquiarum in Scotiam migrat.

ORigo motuum maximorum in Provincia Galliæ Sevennenſi, de quâ per totam Europam tam diverſa per aliquot annos ſparſa ſunt, à perſecutione illa graviſſima Huguenottarum ſive Reformatorum, in regno Galliæ incœpit. Vivebant Reformati ſub Imperio Henrici IV, & Ludovici XIII, quin & per multos annos ſub Ludovico quoque XIV. tranquillè in Gallia; Tuti per *Edictum Nannetenſe*, quo Liberum Religionis Exercitium Reformatis indultum & par penè in rebus civilibus libertas, quæ Catholicis civibus, conceſſa fuit.

Sed cum Pontifex Rom. & cum eo Clerus Galliæ ſubinde apud Regem inſtarent, ut regnum ab hæreticis iſtis purgaret, tandem moveri ſe paſſus eſt, ut omnes vires eò intenderet, quo in totum regnum unam tantum Religionem introduceret: Id enim dicebant Clerici unũ ſupereſſe, quo facere Ludovicus Rex poſſet, ut titulum MAGNI præ aliis omnibus Majoribus gerere poſſet. Initium REI ad omnem poſteritatem memorabilis fuit ANNULLATIO Edicti Nannetenſis, tot juramentis firmatum. Hæreticis enim fidem non eſſe ſervandam dudum eſt inter Regulas Status Papalis Imperii receptum. Poſt eam ANNULLATIONEM ſecuta eſt ereptio & deſtructio Templorum

Refor-

Reformatorum per totam Galliam. Tertio deventum ad ipſas perſonas, ubi incredibile dictu, quam variis modis, per lenocinia, per mellita verba, per fraudes & dolos, per oblationem pecuniæ, denique etiam per vim ac per carnificinas infandas & martyria cruentiſſima miſeri homines ad fidem Romanam fuere coacti. Qui verò cogi noluerunt, ad remos maximam partem, quin etiam ad reſtem vel ad perpetuos carceres fuere damnati.

Inter hos motus Anno 1688. in Delphinatu accidit, ut rudis quædam & 14. annorum, patre opilione genita puella, quæ paulo ante ad Pontificios tranſierat, nomine *Iſabella Vincentia*, ſæpius ex improviſo humi proſterneretur; & mox inter miras corporis motiones pſalmos canere, pœnitentiam inculcare, Proteſtantium Gallorum Eccleſiæ halcyonia prædicere, & ejus deſertores objurgare inciperet. Quæ res cum & Reformatis læta, & omnibus inſolita appareret, nova Prophetis non ſpectatores tantum & admiratores, ſed ſectatores etiam multos nacta eſt; qui ſimilia verba funderent, & Eccleſiæ Reformatæ pacem, papali exitium augurarentur. Suam equidem hîc rem agi cernebant Pontificii; quorum Sacra iſti graviter deteſtabantur. Quapropter Spiritum hunc propheticum, non ratione, ſed externa vi armorum & exquiſita ſuppliciorum varietate & rigore conabantur extinguere. Sed quo magis illi ſæviebant, eo magis augebatur Prophetarum agmen: nec tantum in una & altera urbe, ſed in univerſo fere Delphinatu, Occitaniaque & Vivarienſi provincia vires acquirebat. Viri, feminæ, ſenes, juvenes, pueri atque in his etiam aliqui Pontificiæ religionis, imo & infantes hoc Spiritu afflati, titubante capite, detortis oculis, tremulis manibus, intumeſcente ventre, ſermocinabantur, cultus miſſaticos reprehendebant, apoſtatasque ad Eccleſiam Reformatam redire jubebant; quin ipſis liberationem ab jugo Antichriſtiano mox confringendo divinabantur. Rex omnes, nulla ætatis, ſexus, dignitatis, ratione habita, in carceres detrudi; ſacros item conventus, quos illi in cryptis & ſilvis agebant, diris ſuppliciis diſſipari voluit: id quod regii milites adeo ſtudioſe præſtiterunt, ut numerus captivorum, quorum interdum 8000. erant, carcerum capacitatem exceſſerit. Porro liberos vaticinari incipientes ad magiſtratus deferre juſſi ſunt parentes. Sed pueri, nec inedia, nec plagis, nec ullo pœnæ genere ad ſilentium adigi potuerunt: quo

ſubinde factum, ut ipſorum hoſtium animi mirabili ſpectaculo perculſi atque emolliti fuerint.

Cæterum eruditorum quoque diligentiam ea res exacuit, inprimis, quòd noſſent, magnam iſtorum hominum eſſe varietatem; & multa eorundem vaticinia eventu caruiſſe; qualia illa: Regem Gallorum converſum, & ab eo Concilium Genevæ congregatum, propediemque magnalia DEI in glorioſa Eccleſiæ liberatione conſpectum iri &c. Unde nata judiciorum divortia illis vel faventium vel adverſantium. Inter primos calamum adverſus eos ſtrinxit *Merlatus*, Paſtor Lauſannenſis. Nam cùm illi ſocios, qui ſibi antea fuga proſpexerant, ex Helvetia & Belgio revocatos furori hoſtium hoc pacto objeciſſent, Merlatus eos non ſolum pro Pſeudo-Prophetis accuſavit, qui inordinatas, nonnunquam etiam turpes paterentur agitationes, qui ſæpe in ipſa ecſtaſi indecoros cachinnos, & quos Spiritus ſuus à Verbo DEI abduceret, quin & multis cauſa necis foret; ſed etiam pro perditorum hominum colluvie habendos cenſuit; qui in Helvetia victum quæritantes Reformatam, in Galliam reverſi Pontificiam religionem præ ſe ferrent. Contrà *P. Juriæus*, curioſus rei indagator, eos anno 1689. in literis paſtoralibus non dubitavit publicè vindicare & pro divinitus afflatis agnoſcere. Denique *Medici*, quos Galli conſulendos putarunt, Montis Peſſulani, cùm nec Prophetarum titulo infantes honorare, nec pro ægrotis aut energumenis declarare vellent, Fanaticos eos appellarunt, unde poſtea *Fanatici Belli* nomen emerſit.

Interim nec vi nec fraude Spiritus hic extingui poterat, utut omnibus ſuppliciis premeretur; imò poſtquam conflato pro Succeſſione Hiſpanica Bello, illud etiam hominum genus arma pro ſuæ religionis libertate non ſegniter defendenda arripuit, tum vero demum Spiritus ille virtutes ſuas explicare viſus eſt. Ejus enim dictamen militantibus pro oraculo, & pro imperio erat; ac ſine illius monitu nihil ſe gerere poſſe dicebant. Unde avidè Reſponſa ab illo Spiritu petebantur, quæ ſi negligebant, aut ejus injuſſu hoſtes aggrediebantur, nunquam à partibus ſtantem fortunam & victoriam habuere. Quod ſi prælium inſtabat, ſubinde quis in hoſtium poteſtatem venturus, quis occubiturus eſſet, prædixit Spiritus: quo illi non territi in prælium, in vincula, in mortem & ruebant & propinquos

ruentes

ruentes videbant animo præſenti. Porro ſi forte Sicarius aut proditor præſto eſſet, aut ſicubi hoſtilis turma ingrueret, opportune de periculo admoniti ſunt. Unde Regii milites Spiritum ſibi adeo inimicum indignati obvios tanto crudelius habuerunt, ac hi viciſſim exacerbati in illorum homines & tecta & templa magis ſævierunt.

Cæterum omnes æque, duces, milites, mulieres, infantes per aliquot menſes, hoc Spiritu agebantur. Idiotæ legendi, ſcribendi, prorſus ignari, per ecſtaſin optimè diſſerebant, quamvis deinde nihil eorum, quæ dixiſſent, recordarentur. Ante vero quàm loquendi initium facerent, vel per dimidiam, vel per integram horam, vel etiam diutiùs vehementi motu corripiebantur, commotionibus manuum, pedum, totiusque corporis eo vehementiæ interdum procedentibus, ut robuſtiſſimi eos continere haud valerent: & ſic demum verba in ore ipſis velut otioſis formabantur. Multis illis ſermo de excidio Antichriſti ad A. 1708. futuro: de caſu Regis Galliarum: de imminente Regno millenario; cujus ſe nuncios perhibebant. Nec ſine præſenti periculo vel damno licebat huic Spiritui contradicere; qui non úno, ut videbatur ſpecimine ſe approbabat: quale illud inprimis, quod Anno 1701. menſe Auguſto contigit. Præerat exercitui Cebennenſium juxta cum Joanne Cavalliero *Glarius*. Is prope Serignanum, in maxima hominum frequentia, in ecſtaſin incidit, in eâque Spiritus aſſerit, duos exploratores præſentes ab illo detectum iri. Nec mora. Surgit Glarius, & unum proditorem injecta manu palam facit, cui alter accurrens una cum ſocio publicè veniam à Cavalliero petit. Suſpicabantur multi, ſubornatos fuiſſe à Glario, qui ſe proditores ſimularent; ſed Spiritus, qui eum adhuc in ecſtaſi retinebat, dixit: *O gens exiguæ fidei! dum poſt tot, quæ vobis oſtendi, Magnalia etiamnum de potentia mea ambigitis. Volo, ut accendatur è veſtigio ignis, & permittam, dico ego, mi infans, ut tute in illum te inferas, nec tamen ullum inde damnum capias.* Ea oratione omnes, inprimis, quos illius ſuſpicionis conſcientia redarguebat, exclamarunt attoniti: *Domine, tolle à nobis teſtimonium ignis; ſumus enim certi, quod corda hominum inſpicias.* Sed fit experimentum. Cavallierus arida ligna jubet colligi: Sarmenta apponuntur: focus inſtruitur. Glarius in ignem ſe immittit, ac manibus ſupra caput junctis, donec lignum omne conſumitur, ſpectantibus parentibus & ſororibus, immotus in igne perſtat;

ſtat; demum cum ſtupore omnium adhuc agitatus Spiritu ex buſto redit integer. Sic nemo poſthac illi Spiritui adverſari aut mandata ejus contemptim habere auſus eſt. Præter Glarium autem alii quoque inſpirati duces excelluere. *Cavallierus* ipſe, *Fagius* item, *Marionus*, *Rulandus*, *Mazelius*, & haud pauci alii: inter quos etiam nonnulli antea Pontificiæ religioni fuerant innutriti. Talis fuerat Durandus Fagius, qui contra Reformatos militaverat; talis item Elias Marionus, qui, cùm Spiritus non ſemel prædixiſſet, uti & de Fagio prædixerat, eum Prophetam fore, tandem, lacrumis ſanguineis largiſſimè profuſis, Spiritu arreptus pro reformata religione fortiter pugnare cœpit.

Cœterum poſtquam A. 1704. & 1705. milites regii Reformatos non uno prælio ſuperarunt, haud pauci neglecto illo Spiritu cum Ducibus hoſtium pacem fecerunt, multi ad Helvetios abiére: in his Marionus Fagiusque. Exinde uterque, uti & Cavallierus in Angliam profecti ſunt. Hîc celebris triga, conſenſum cum Reformatorum doctrina profeſſa à reliquis popularibus comiter excipitur: fit concurſus ad novos Prophetas: Sunt admirationi: mox diverſas ſubeunt cenſuras. Alii quippe vaticinia de interitu Babylonis & Pharaonis Gallici ac de propinquitate Millennii cum prolubio audiebant: alii eadem pro mera benevolentiæ captatione interpretabantur: alii rebantur, eos adveniſſe, ut copias pro defendenda patria tot miraculis illuſtri contraherent: alii phantaſiam eorum tot calamitatum experimentis turbatam credebant: alii ecſtaſes eorum, ut voluntarias & hiſtrionicas geſticulationes ſpectabant: alii ſuperius Agens agnoſcebant, quamvis quale illud eſſet definire non auderent: alii pro veris eos habuerunt Prophetis; alii pro hominibus, Satanæ impoſturam paſſis: alii denique judicarunt, quædam eorum DEO, quædam contrariæ poteſtati eſſe adſcribenda. Multi tamen ſunt reperti, qui vel ſimili Spiritu arriperentur, vel eidem faverent. Idcirco Londinenſis Epiſcopus à Conſiſtorio Gallico illorum Prophetarum indolem ſibi notificari petiit. Arceſſuntur, examinantur; Marionus doctrinam ſuorum non incommode explicat; amicè dimittitur: inprimis cùm homines iſti ſimularent, ſe juſſu Spiritûs propediem iterum diſceſſuros. Sed poſtmodum favore nonnullorum ſibi conciliato ferociores facti, nec Senatui ſacro, qui eos iterato convocatos monebat, ut falſas Prophetias & ſimulatas ecſtaſes abjicerent, obedienter adeſſe noluerunt,

nec

nec promiſſa de maturando abitu ſuo ſervarunt. Itaque cum ab incepto non deſiſterent, Senatus ille ineunte A. 1707. eos à ſacra ſua communione removit, ſimulque publico decreto judicavit: Sevennenſes iſtos Eccleſiæ Reique publicæ illudere, Ecſtaſes eorum eſſe voluntarios motus & effectus, quos ipſi in poteſtate haberent; quàmvis inter ipſas agitationes à ſuperiori quadam cauſa moveri viderentur. Iſtos paroxyſmos prorſus eſſe indignos Spiritu divino. In ſermone illorum eſſe perpetuas hæſitationes & ſingultus, pueriles repetitiones, impervia cognitu argumenta, complures contradictiones, aperta mendacia, conjecturas in vaticinia verſas & eventu jamjam refutatas; moralia ubique non ſatis ſana. Et illos tamen hæc univerſa DEO blaſphemè adſcribere. Quod judicium cùm reliquæ Eccleſiæ Gallicæ ſuo calculo approbaſſent, popularium animi prorſus ab eis alienati fuerunt. At dum Prophetæ perpetuo caſum Antichriſti & Regis Galliarum aliaque ingeminant, in aliorum hominum, etiam doctorum nobiliumque, animos influxerunt. Ipſi Paſtores crebris ſuis in eosdem invectivis auditoribus curam injecerunt rem penitiùs cognoſcendi; & ex Anglis multi non tantum ad cœtus propheticos confluebant, verum & ipſi in ecſtaſin rapiebantur & vaticinabantur. Inprimis magna illorum rebus acceſſio facta eſt, poſtquam inſignes duo Mathematici, *Maximilianus Miſſonius* & *Nicolaus Facio*; itemque alii duo viri & divitiis, & pietate ac doctrina conſpicui, *Richardus Bulkeljus* & *Joannes Lacius* eorum ſe cœtui adjunxerant; quos alii certatim ſecuti ſunt. Quin ex hoc tempore etiam ſcriptis acta eſt res. Nam Facio omnes inſpirationes, quas Marionus poſt ingreſſum ſuum in Britanniam à d. 18. Sept. 1706. usque ad d. 1. April. 1707. habuerat, in unum volumen collectas edidit; quamvis nonnemo *Facionem* ipſum libri ejus auctorem eſſe perhibeat; eo quod multa in illo ex Kabbala Judaica, Scriptoribus myſticis aliisque compareant. Easdem autem Prophetias *Lacius* mox è Gallicis Anglicas factas publicavit. Et cum Antiſtites Eccleſiæ Gallico-Sabaudicæ eum librum blaſphemiæ, ſeditionis & erroris damnarent, Miſſonius non Marionum tantùm ſed & reliquos Prophetas defendere ſategit: quod ipſum etiam *Benjamini Fewleji* ex Quakero Reformati ſtudium fuit. Miſſonii porro librum Lacius Anglice verſum edere inſtituit, ut varias variorum ſententias exploraret. Neque enim adhuc de infallibili inſpirationum

Divinitate convictus erat, ſed rem omnem velut extraordinariam & Superiori Enti vendicandam rebatur. Sed poſteaquam librum illum typographo commendaverat, ipſe, ſubitô horrore ei ſuperfuſô, multa Scripturæ teſtimonia de fine mundi, ante ſibi vel non audita vel non intellecta, fusè explicavit, de veritate inſpirationum Sevennenſium ſe convictum aſſerens, & quidem per apertam experientiam: unde novi denuo promanarunt libri, quorum pars dein publicæ luci data eſt. Ex altera parte contra iſtos inſurrexerunt, præter anonymos Gallos Angloſque *Ed. Calamus*, & *Georgius Keith*, qui illos cum Quakeris, quorum ipſe quondam aſſectator fuerat, comparavit.

Jam cum his hoſpitibus ſat indultum videretur, res in nervum erupit denique. Nam cùm publicis relationibus inſeruiſſent, populares ſuos contra Prophetas inſurrexiſſe, qui Regi Galliarum interitum ominarentur: in laqueos, quos aliis tendebant, inciderunt ipſi. Nimirum Paſtores Gallici, Prophetiæ illius invidiam à ſuo cœtu amoliturí Judices implorarunt, ut contra Marionum, Facionem & *Daudæum* maligni ſcripti auctores jure ageretur. Itaque d. 1. & 2. Decemb. 1707. Marionus, Facio & Daudæus, qui Facioni in edendis Marioni ſcriptis adjutor fuerat, in infami loco vulgi ludibrio & injuriis expoſiti ſunt; eoque factum, ut omnium ludibria paſſi ſint, tanquam homines, quibus in corpore inſano mens non diſſimilis habitaret. Interea tamen Ecſtaſes & vaticinationes continuabant; imò numerus Prophetarum ex Philadelphenſibus, Socinianis, Tremulis, & ipſis Anglicanæ Eccleſiæ inquilinis augebatur.

Ad poſtremum univerſa eorum auctoritas à decretorio ſpecimine, miraculo ſcilicet, ſuſpenſa fuit. Diem ſupremum obierat Socius ipſorum, *Emeſus*, Chirurgus, ſed vulgi appellatione Doctor ſalutatus, religioni Socinianæ addictus, cujus etiam fidem, ut omnes agnovere, nec ipſi Prophetæ novelli inficiabantur, nunquam depoſuit. Is poſtquam Anno 1707. d. 25. Dec. ſepultus fuerat, inſpirati quidam eundem brevi reſuſcitatum iri divinabant; inter eos puella 12. annorum erat, & *Jo. Portales*, quem ipſis Cal. Jan. 1708. ſub Perſona DEI ita locutum tradunt: *Ego dico vobis, quòd ſi potentiam meam in dubium vocaverit quiſpiam, peccatorum remiſſionem non ſit habiturus. Cavete.* Ad hoc verbum inter horribiles motus jugulum ejus ita conſtringebatur, ut mors homini præſto eſſe videretur; ſed ille

per-

pergebat: *An noſtis diem, quo ſepultus fuit ſervus meus? quinto poſt illum menſe, die 25. Maji,* ſtyl. v. *reſurget. Menſem unum ultra illos* (quatuor) *dies, per quos in ſepulcro latuit Lazarus,* (i. e. quinque menſes) *mortuus remaneat. Eâdem illa hora reſurget, qua ſepultus fuit. An noſtis,* addebat, *infantes mei, diem?* imo. *bene.* d. 25. Maji, recte. *Dico vobis; videbitis reſurgentem, qui nunc eſt mortuus &c.* dein & eum, cujus operâ & precibus id eventurum eſſet, nominavit, Joh. Lacium; & horam, meridianam duodecimam præſtituit. Hoc miraculum illi unicam certiſſimamque ſuarum Prophetiarum notam prædicabant; quo fruſtrato, ipſe Lacius publice ſe profitebatur agniturum, ludos à Satana ſibi factos. Nec reformidarunt id vaticinium publicæ luci committere, ut omnes ex hoc facto inſtantem Domini, ad regnum in his terris, adventum agnoſcerent. Cœtus eorum in provincias Angliæ egreſſus Sectatorum numerum colligebat, qui & ipſi, ſi Lacio credimus, locis diverſis easdem habuere inſpirationes. Bulkeljus eos contra plures antagoniſtas ſcripto defendit. Lacius verò, ipſomet teſte, præter inſpirationes perpetuas plura etiam miracula in ſanandis ægrotis ſub id tempus edidit, ac eorundem famâ & fide, quam publicato libro promovit, plurimos ad ſe attraxit. Cæterum ea miraculi promiſſione rumor in omnem Britanniam Belgiumque, & inde in Galliam & Germaniam ſparſus, ſummam apud omnes expectationem concitavit. Exorto 25. Maji die, tantus naſcitur populi confluxus, tumultus & clamor, ut avertendo ſeditionis periculo Regina quinque millia militum in illam urbis partem mittere debuerit. Frequentiâ tanta territi Prophetæ populo ſe miſcere non auſi ſunt; nec niſi unus illorum, idemque turbæ incognitus, velut ſpectator, adſtitit: ipſe, qui miraculum editurus putabatur, Lacius, comparet nusquam. Nam etſi alieni oraculi perſuaſione nixus prodire omnino voluerat: amici tamen cujusdam precibus, qui vitæ periculum ex paribus exemplis demonſtrabat, tandem acquievit, nec pedem domo extulit.

Sic turpiter eluſi quamvis ex pacto pro falſis Prophetis debuiſſent habere ſemetipſos, herbam tamen porrigere noluerunt: ſed varia falſitati ſuæ prætendenda excogitarunt. Ipſe Lacius cum aliis infidelitatem ſuam ajebat remoram injeciſſe miraculo, utpote à Deo non abſolutè, ſed ſub fidei conditione promiſſo: alii miraculum ad biennium differri; alii nullum plane tempus eidem præfixum eſſe cauſſa-

 bantur;

bantur: alii metaphorico ſenſu accipiendum fuiſſe vaticinium, eoque alium, qui Spiritu Emeſi, ad Eliæ & Eliſæ exemplum, imbutus prodiret, innui contendebant: alii denique inſiciati ſunt, fallente vaticinii complemento ipſas prophetias falſitatis convinci. Nihilo ſecius, uti prius illâ miraculi fiducia triumphare videbantur; Sic poſtquam ſpes ſua & ipſos & aliorum animos ſuſpenſos hactenus fruſtrata eſt, omnium odio & contemtui expoſiti, omnium dicteriis & ſtylis denuo confoſſi ſunt: quam calamitatem inteſtinæ lites auxerunt inſuper. Nam *Withrovius* quidam, peculiares & reliquorum effatis contrarias inſpirationes habere cœpit; qui ab illorum ſocietate ſive egreſſus ſive expulſus Bulkelejum aliosque rurales in ſuas partes traxit. Et Bulkelejus quidem Lacium ideo repudiaſſe fertur, quòd curatio ægri corporis ſui à Lacii ſpiritu prædicta non eveniſſet. Cæterum in illa familia, cujus caput erat Lacius, inſpirationes nunquam remiſerunt; quapropter novam earum collectionem menſe Julio 1708. ediderunt, multa alia in ſcriniis adhuc ſervantes. Ita novæ ſectæ ſpeciem paulatim induit hæc multitudo; Spiritu certos dies & horas conventibus dicente, feriam nempe primam & quintam; quibus diebus etiamnum congredi & vaticinari amant. Inter hæc uxor Lacii, cujus viri nutu iſta geri omnia multis ſuboluit, liberorum nomine ad Parlamentum confugit, ut ille ſumtus tantos excudendis Prophetarum libris impendere prohiberetur, ne liberi hæreditatis paternæ ſpe exciderent: eôque impetravit, ut Lacio dominium opum & prædiorum ſuorum abrogaretur, & pro eo ſumma quædam argenti annuatim præbenda, unde viveret, decerneretur: quo pacto Prophetarum fortuna denuo multum detrimenti paſſa eſt.

Denique complures Spiritus iſtius impulſu Edenburgum, quæ Scotiæ metropolis eſt, demigrarunt; ubi plurimorum, nobilium & aliorum, hominum applauſum & conſenſum acquiſiverunt. Unde novi in Scotia, quin & in Hibernia tumultus; queis ſub idem tempus Anglia, præſertim Londinum, non caruit. Sic Britannia, ab omni memoria diverſis opinionum fluctibus jactata, rurſus cum novo hominum genere neceſſum habuit conflictari.

JU-

JUDICIUM THEOLOGICUM

Quid de Prophetis, viſionibus & miraculis Sevennenſibus ſit habendum?

QUanquam difficile & periculoſum videatur, circa talia mentem ſuam aperire, quæ penè ſupra mentem & rationem noſtram eſſe videntur. Nec periculo careat, in arcana & tenebras iſtas penetrare velle; Tamen quia ipſe DEUS præcepit, ut Spiritus probemus, an ex DEO ſint, 1. Joh. 3. Ideoque ſub directorio divino, & manendo in ſemita Scripturæ, paucis ſenſa noſtra promemus.

Dicimus autem Primò, nos non cenſere, quod iſti Sevennenſes Characteres habuerint verorum Prophetarum. Nam prima ac præcipua veri Prophetæ nota VERITAS eſt; verus enim cenſeri debet, qui vera prædicit: falſus, qui mendax eſt. Tradidit hanc regulam in Scripturis ſuis Spiritus Sanctus, ubi poſtquam edixit, falſos Prophetas interficiendos eſſe, qui arrogantiâ depravati auſi fuerint in nomine ipſius loqui, quæ ipſe non præcepiſſet, ait: *Quod ſi tacitâ cogitatione reſponderis, Quomodo poſſum intelligere verbum, quod Dominus non eſt locutus? hoc habebis ſignum, quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit; hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit, & idcircò non timebis eum.*

At verò multa falſa & quæ eventus non probavit, prædixerunt Sevennenſes, nam dixerunt, quod Rex Galliæ Ludovicus XIV. ſit proximè convertendus; & quod Concilium Genevæ ſit congregandum, ita ut propediem magnalia DEI in glorioſa Eccleſiæ liberatione conſpici queant. Quæ Prophetia, quam nullum hactenus habuerit eventum correſpondentem, dies & experientia contraria docet. Secundò, Sevennenſes Prophetæ in ipſo actu prophetandi parum abfuerunt ab amentibus & furioſis, & motus corporis habuere planè indecentes; at hoc repugnat vero Prophetæ: *Proprium eſt falſi Prophetæ*, inquit Chryſoſtomus *Hom. 29.* in *1. ad Cor. emotæ eſſe mentis, vim pati ac neceſſitatem, pelli, trahi, raptari tanquam furentem. Verus autem Propheta non ſic, ſed cum mente ſobria, & cum modeſtia ac temperante conſtitutione, & ſciens quæ loquitur, dicit omnia.* Et infra. *Dæmonis proprium eſt tumultum & furorem, & multam involvere caliginem:*

Dei autem eſt illuminare, & quæ oportet docere cum intelligentia. Ideò autem falſi Prophetæ mente commotâ loquuntur, quia Diaboli impetum, à quo impelluntur, ferre non poſſunt: At qui à Deo aguntur, placidè, humiliter, & modeſtè proferunt, quæ ab illo acceperunt, docet enim eos omnium artifex ſapientia, in qua eſt *Spiritus intelligentiæ ſanctus, unicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, nobilis, incoinquinatus, certus, ſuavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, ſtabilis, certus, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens.*

Quin error *Montani* fuit, Prophetas veluti amentes ac furioſos extra ſe poſitos, locutos eſſe quæ ignorabant, nulloque ſermoni præfixo ſcopo veluti in ventum verba jactaſſe. Nam, ut rectè *Baſilius* „ *Magnus* aſſerit, id abhorret à profeſſione divinæ præſentiæ, ut a„ mentem reddat, qui à Numine corripitur: cumque plenus divino„ rum decretorum eſſe cœperit, tunc à propria mente etiam excidat; „ & qui aliis à ſeſe præbeat utilitatem, ipſe ex propriis ſermonibus „ nihil capiat utilitatis. In ſumma quomodo conſentaneum eſt, ut quis „ ex ſapientiæ ſpiritu ſimillimus inſano reddatur? Quin potiùs, neque „ lumen cæcitatem parit, verùm videndi vim à natura inſitam ex„ ſuſcitat: neque ſpiritus tenebras inducit animis, ſed ad contempla„ tionem rerum intelligibilium mentem à peccati maculis puram exi„ git. Et quis negabit, improbam hanc eſſe Diaboli vim naturæ hu„ manæ inſidiantem, confundere mentem: at ſi quis dicat, Spiritûs „ divini præſentiam hoc idem efficere, hic impiè dixerit. Agnoſcimus quidem in viſionibus imaginariis, abſtractionem à ſenſibus: ſed hæc abſtractio ſive ecſtaſis ad naturales ſenſuum functiones referri debet, non ad mentis inſaniam: pars enim præcipua animæ & vis intelligendi ejusmodi alienationis eſt expers, ut prolixè Epiphanius adverſus Montanum, ejusque inſanas mulieres demonſtrat.

Tertium argumentum & character falſi Prophetæ eſt, qui cum aliquid prædicit, quod evenit, interim falſam doctrinam prædicat, & populum abducit à via veritatis, & vero DEI cultu: ſigna enim doctrinam ſubſequi debent, non præcedere, ſicut Chriſtus ejusque Diſcipuli nos docuerunt, qui prædicationem ſuam ſubſequentibus miraculis & prænotionibus confirmarunt. Tradidit hanc regulam Dominus in Deuteronomio his verbis: *Si ſurrexerit in medio tui pro-*

prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum, & evenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſerviamus eis: non audies verba Prophetæ illius aut ſomniatoris; quia tentat vos Dominus Deus veſter, ut palàm fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima veſtra. Dominum Deum veſtrum ſequimini, & ipſum timete: Propheta autem ille aut fictor ſomniorum interficietur. Deut.13.v.1. Signis igitur & prædictionibus attendendum non eſt, quando is, qui ſigna facit & futura prædicit, contraria pietati docet. Nam & Apoſtolus etiam Angelo de cœlo aliter evangelizanti, quàm accepimus, anathema imprecatus eſt. Et Vincentius Lirinenſis ex allata Deuteronomii ſententia elegantiſſimè oſtendit, nemini credendum eſſe, quantâvis doctrinâ aut ſanctitate polleat, ſi quid proferat divinis Scripturis aut Apoſtolicis veritatibus contrarium: idque probat multorum exemplis, ac poſtremò Tertulliani, „ qui contra Moyſi præceptum exſurgentes in Eccleſia novellas Montani furias, & inſana illa inſanarum mulierum novitii dogmatis ſomnia, veras Prophetias adſeverando, meruit, ut de ſe quoque & ſcripturis ſuis diceretur: *Si ſurrexerit in medio tui Propheta*, Et mox, *Non audies verba Prophetæ illius.*

Inter falſas Doctrinas Sevennenſium, & ſeductionem populi à via virtutis refero, quod tradiderunt, licere vim vi opponere, atque arma vertere contra perſecutores, imò contra ipſum Regem Galliæ, Dominum & Regem ſuum, cui cum Antichriſto ſæpe funeſtum caſum prædicebant.

At longè alia mens eſt Salvatori noſtro, qui vult, ut Chriſtiani cruenta ſua veſtigia ſequantur, ac ut CRUCEM ſuam ſubeant cum omni patientia. Et qui Petro, ſe gladio defendere volenti, dixit: Reconde gladium tuum in vaginam, nam, qui gladium ſumet, gladio peribit. Quæ prædictio Salvatoris in multis Sevennenſium veritatem habuit luculentam. Clarus etiam locus eſt Matth. 5. ubi præcipitur, ne reſiſtamus injuriam facienti.

Alia mens fuit D. Apoſtolo Paulo, qui ſimpliciter ſubditis, & ſic etiam Sevennenſibus præcepit, ut Dominis ſuis abſolutam obedientiam præſtent, uti eo tempore Chriſtiani usque ad cruentiſſima martyria præſtiterunt.

Quod

Quod ad miracula ſpectat, quæ jactantur, illa nobis planè nullum apodicticum fundant argumentum pro Sevennenſium Ecſtaticorum Religione; nam quis neſcit apud Ethnicos quoque jactata eſſe miracula: Sic Juſtinūs prolixè memorat, quod Templum Apollinis Delphici, contra Brenni exercitum 200000. conſtantem à ſeptendecim ſacrificulis fuerit defenſum, profligato ad dimidiam usque partem per grandinem, fulgura ac violentiſſimos imbres, inter immania tonitrua exercitu. Quis hîc diceret, exinde colligi poſſe, quod in Templo Apollinis Delphici verus fuerit DEI cultus?

Quanta miracula recenſet *Philoſtratus* de Apollonio Thyaneo, quæ pene miracula Salvatoris noſtri æquare videntur; nam & mortuum reſuſcitaſſe fertur, & varia ſtupenda prædixiſſe; Quin dum Epheſi ille in cathedra philoſophica doceret, & in eodem momento Stephanus Domitianum Imperatorem gladio invaderet Romæ; ille, inquam, Thyaneus in eodem momento, exclamavit: *Euge Stephane! percute Tyrannum*; Subſiſtens deinceps paululum, iterum quaſi tripudians exclamavit: *Percuſſiſti, vulneraſti, occidiſti.* Id quod etiam factum. Quis hic non miratur, quod Apollonius Thyaneus Epheſi ſcivit, & quidem eodem ipſo momento, quo id Romæ factum eſt? cum ſatis conſtet, tantam eſſe diſtantiam inter Romam & Epheſum, ut non diebus, ſed ſeptimanis, imò menſibus opus ſit, ut quis viam illam emetiatur.

De Selene Simonis Magi concubina refertur apud Clementem Rom. lib. 2. de Recogn. quod, cum in ampla quadam turri eſſet, magna populi multitudine ad ſpectaculum concurrente, per omnes illius feneſtras ſimul proſpicere viſa fuerit. An ergò concludi poteſt, quod hæc *Montani* Concubina fuerit divinis dotibus inſtructa?

Apud Turcas etiam varia jactari miracula teſtis eſt nobiliſſimus *Busbequius*; nec apud Chinenſes *Confutius* miraculis caret, ſed magno numero recenſentur: De Ægyptiacis miraculis tempore Moſis ut nihil dicamus. Sufficit nobis, quod, niſi de DIVINITATE Doctrinæ antecedenter conſtet, miracula vim probandi non habeant. Qua in re nobis adſtipulatur Cardin. *de Bona*, cujus devotionem inter tenebras ſimul & ſplendorem Curiæ Romanæ meritò miramur.